



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. Vtrum natura specifica reddatur formaliter indiuidua per positium, vel
negatium.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

ce, sunt enim similes & proportionati in hoc, quod uterque habeat colores cum tali proportionem externa, & in hoc conueniunt vniuocē.

Alia exempla possent afferri de vltimis differentiis substantialibus, quæ maiorem habent inter se similitudinem & proportionem quam cum differentiis accidentalibus vllis, & tamen sunt primo diuersæ & non conuenientes in aliquo conceptu communi determinato. Sed re vera est eadem difficultas de his, ac de differentiis indiuidualibus, vnde non conducunt ad probandum aliquid de indiuidualibus. Sed nec est necesse adducere exempla, quando adest ratio, vt contingit in proposito.

QVÆSTIO III.

Utrum natura specifica reddatur formaliter indiuidua per positium, vel negatiuum.

21. **E**Xtra cōtrouerſiam est naturā specificā indiuiduatam, seu indiuiduum, esse incommunicabile formaliter, etiā vt incommunicabile dicit formaliter negationem cōmunicabilitatis: nam sine dubio in quolibet indiuiduo datur talis negatio, & illa dat ipsi aliquā denominationem, non aliam quam incommunicabilis: ergo indiuiduum est formaliter incommunicabile, vt incommunicabile dicit formaliter talem negationem, & cōstituitur etiam in esse incommunicabilis per huiusmodi negationē formaliter. Sed cōtrouerſia est, an ab illa negatione habeat per se primō constitui formaliter indiuiduum, vt indiuiduum dicit aliquid distinctum supra naturam, quæ de se formaliter non est indiuidua, v.g. à natura humana abstracta ab indiuiduis. Cuius cōtrouerſiæ pars illa, quæ dicit indiuiduum constitui formaliter per negatiuum, erit vera, si non requiratur aliqua formalitas positiua distincta aliquo modo à natura specifica ad cōstitutionem indiuidui, aut ad pullulationem illius negationis; seu si illa negatio possit sequi ad ipsam naturam specificā formaliter secundum se consideratam; si vero negatio illa nequeat sequi, aut pullulare ex illa natura, sed requirat necessario aliquam aliam formalitatem positiuam distinctam aliquo modo à natura specifica, tum indiuiduum constituetur per se primo in esse tali per illud positium, & non per negationem ad illud sequentem. Et hic est verus ac genuinus sensus cōtrouerſiæ; quod bene aduertendum est.

22. *Prima sententia est Henr. quod l. 5. q. 8.* Indiuiduum nihil aliud dicere supra naturam specificā, præter negationem diuisionis illius, quæ repugnat indiuiduo, quā tali, & consequenter indiuiduum per se primo constitui formaliter in esse talis per negationem. Ab hac sententia meo iudicio parum differunt in re ipsa *Nominales cum Occamo l. d. 2. q. 4. & 6.* qui existimant non oportere quærere principia indiuiduationis distincta à naturis specificis, sed omnem cuiuscumque rei singularis naturam esse seipsa singularem; nam non negant omnem talem naturam habere negationem comunicabilitatis, sed negant aliquod positium distinctum à natura, esse necessarium ad hoc, vt pullulet ista negatio; & consequenter intentum ipsorum est, quod indiuiduum non habeat aliquod principium positium indiuiduationis suæ distinctum ab ipsa natura specifica: quæ in re est sententia Henrici.

Secunda sententia est requiri quidem aliquid positium, quod sit principium formale & indiuiduationis & negationis illius, quā dicit indiuiduum, sed ab illo tamē positio non perfecte præscindi ipsam naturam, sed imperfecte: ita Auerſa supra sec. 2. & 11. & iuxta hoc conatur explicare primam sententiam.

Tertia sententia est requiri aliquid positium, à quo natura specifica perfecte præscindit. Hæc est communissima cum Doctore 2. dist. 3. qu. 2. & suis, quos sequuntur Suarez dist. 5. Met. sec. 2. Fonseca 3. Met. c. 6. q. 5. quæ etiam sententiam tenent Thomistæ inferius citandi, licet forte ex illis aliqui possent adduci ad secundam sententiam.

CONCLUSIO I.

23. *Indiuiduum dicit aliquid formaliter ultra id quod dicitur natura specifica.* Hæc est communis apud omnes, quæ

muſ in terminis videantur dissentire Nominales, qui tamen explicandi sunt iuxta primam sententiam præmissam. *Probat*ur, quia quando concipimus indiuiduum, concipimus aliquid incommunicabile pluribus cum numeratione, & quando concipimus naturam specificā non consideramus aliquid sic incommunicabile: ergo indiuiduum dicit aliquid formaliter quod non dicit natura specifica.

Confirmatur per probationes sequentis conclusionis.

CONCLUSIO II.

24. *Datur aliquod principium positium aliquo modo distinctum à natura specifica, quod sit principium formale indiuiduationis & negationis illius, quā dicit indiuiduum quæ tale.* In hac conueniunt authores secundæ & tertiæ sententiæ contra primam sententiam, prout communiter intelligitur, quia *Auerſa* illam sententiam sic explicat, vt cum sua conueniat. *Probat*ur conclusio primo, quia indiuiduum dicit formaliter aliquid supra naturam specificā, vt iam probatum est: sed non aliquid negatiuum: ergo positium. *Probat*ur minor, quia si quid negatiuum diceret, maxime negationem comunicabilitatis, quæ mediante repugnat, vt multiplicetur numerice: sed hæc negatio præsupponit aliquid positium, ratione cuius competit indiuiduo: ergo illud, quod dicit indiuiduum supra naturam, debet esse aliquid positium. *Probat*ur minor, quia omnis negatio competit alicui, vel ex ratione alicuius se tenentis ex parte fundamenti, vel ex eo quod tollatur à fundamento, aut non ponatur in ipso aliquid positium, quod posset in ipso poni; v.g. negatio rationalitatis in bruto præsupponit in ipso differentiam positiuam, quæ contrahit animal ad ipsam, & negatio albedinis competit ipsi ex eo, quod non ponatur in ipso albedo, aut ex eo quod tollatur ab ipso, aut ex eo quod ponatur in ipso nigredo, cum quæ non posset stare albedo, & ita de reliquis negationibus discurrendum est: ergo negatio comunicabilitatis competens indiuiduo, ideo competit ipsi, quia habet aliquod positium in se, ratione cuius competit ipsi, vel quia ponitur in ipso aliquid positium distinctum à se, vel quia tollitur ab ipso aliquid positium, cum quo posset esse; sed ex his tribus modis primus, & secundus probaret nostram conclusionem, quia daretur aliquid positium in indiuiduo quæ tale, ratione cuius competeret ipsi ista negatio: tertius autem modus dici nequit, quia nihil positium potest auferri ab indiuiduo, ratione cuius ablato competeret ipsi negatio comunicabilitatis, nisi comunicabilitas: sed hæc indiuiduo nequit competere: ergo negatio, quā dicit indiuiduum, competit ipsi ratione alicuius positiui, per quod manet probata minor principalis. *Probat*ur iam consequentia principalis, quia illud positium non est ipsa natura specifica præcise, vt talis, formaliter loquendo: ergo aliquid aliud. *Probat*ur antecedens, tum quia natura specifica, formaliter vt talis considerata, non concipitur vt indiuidua, nec vt habens talem negationem, imo potest considerari vt multiplicabilis, seu saltem, vt talis cui ex ratione sua formali non repugnat multiplicari, aliàs non posset considerari vt vniuersalis: ergo vt concipiatur indiuiduata, & cum tali negatione, debet considerari sub aliqua alia formalitate positiua.

25. *Vis totius huius rationis ponitur à Scoto breuiter hoc modo: omnis negatio, quæ est repugnantia, aut quæ nequit separari à subiecto, præsupponit in subiecto illo aliquid positium, ratione cuius competat ipsi illa negatio inseparabiliter: sed negatio, quā dicit Petrus, nequit separari ab ipso, repugnat enim Petrum multiplicari numero: ergo præsupponit in illo aliquid positium: non naturam specificā: ergo aliquid aliud positium aliquo modo distinctum.*

Dices: negatio, quā dicit indiuiduum, est negatio, à qua habet non esse, nec posse esse in pluribus, de quibus prædicetur cum multiplicatione: sed talis negatio cōpetit ipsi naturæ specificæ, quæ est in ipso: neque enim de facto illa natura, quæ est in Petro, est, aut potest esse in Paulo:

aliquid formaliter ultra naturam specificā.

Principiū formale indiuiduationis est aliquid positium.

Paulo: ergo negatio, quam dicit indiuiduum, sequitur ad ipsam naturam specificam indiuidui.

Respondeo distinguendo minorem: competit ipsi formaliter, ut natura specifica, nego minorem: competit ipsi realiter & ratione hæcæitatis annexæ, concedo minorem. Ad probationem dico, quod repugnet quidem ipsi naturæ specificæ, quæ est in Petro, diuidi in plura realiter, & à parte rei, non tamen formaliter, & vt consideratur in esse naturæ specificæ præcise.

Dices: ergo posset quantum est ex se plurificari.

Respondeo distinguendo consequens: posset quantum est ex se realiter loquendo, nego; formaliter loquendo quatenus ut natura non dicit formaliter repugnantiam, ad hoc, concedo; neque id est absurdum. Itaq; quemadmodum animal, quod est in homine, quandoquidē identificetur realiter rationalitati, nequit de potètia absoluta simpliciter esse in bruto, licet id ipsi non repugnet ex conceptu suo formalitè natura, quæ est in Petro, nequit esse in Paulo realiter, quia identificatur Petreitati, sed non tamen repugnat illi esse in ipso, ut concipitur per modum naturæ illius, quæ est in Petro specificatiue.

26. *Probatur secundò conclusio*, quia sine dubio est aliqua entitas positiua in vno indiuiduo, v.g. in Petro, quæ nõ est in Paulo, nec potest esse in illo, alias nõ distingueretur realiter Petrus & Paulus: sed illa entitas positiua est principium istius negationis, quam dicit, quatenus nõ potest esse in Paulo: ergo negatio, quam dicit indiuiduum, præsupponit aliquid positiuum: sed non naturam specificam, vt talem formaliter: ergo sub aliqua alia ratione.

Obiicies pro aduersariis; nõ potest assignari quodnā positiuum dicat indiuiduum supra naturam specificam; ergo non debet asseri, quod dicat aliquid positiuum.

Respondeo negando antecedens, cuius ratio patebit ex dicendis, & modò breuiter dico esse aliquid positiuum identificatum naturæ specificæ, ratione cuius formaliter conuenit rei includenti talem naturam, non esse vltèrius multiplicabilem.

Obiicies secundò: licet possit concipi rationalitas, vt est differentia hominis positiua & absoluta, seu vt est principium quo formale, ratione cuius competit ei discurre, sine eo, quod cognoscatur, vt dicit negationem brutalitatis; tamen hinc non sequitur quod illa negatio præsupponat aliud positiuum formaliter distinctum ab illa rationalitate: ergo licet possit concipi natura specifica, verbi gratia humanitas, sub conceptu humanitatis, quatenus scilicet, est essentia hominis, & id ratione cuius competit ipsi sentire & discurre sine eo, quod concipiatur cum negatione comunicabilitatis aut multiplicationis numeralis, tamen non inde sequitur quod illa negatio exigit aliud principium positiuum formale distinctum vilo modo ab humanitate.

Respondeo negando consequentiam, & disparitas est, quod si concipiam rationalitatem, vt est principium quo formale, & metaphysicum discurrendi, & simul brutalitatem, vt est principium impotens ad discurrendum, potero optime cognoscere, quod rationalitas & brutalitas sint distincta, quia statim ad applicationem mutuan apparebit distinctio eorum, & negatio similitudinis, quam dicunt; vnde non est necessarium requirere aliquod aliud principium positiuum distinctionis eorum. Sed si concipiatur perfectissime humanitas, quæ est in Petro, & concipiatur Paulus, non poterit cognosci quod humanitas illa distinguatur numero, aut realiter à Paulo: ergo debet necessarid concipi sub aliquo alio positiuo conceptu, ratione cuius possit cognosci quod sit distincta numero & realiter à Paulo.

CONCLUSIO III.

27. *Natura specifica perfecte præscindit à singularitate.* Hæc est tertia sententia contra secundam, & probatur, quia secundum ipsammet Auerfam, ille conceptus præscindit perfecte ab alio conceptu, qui potest intelligi absque alio cõceptu; & qui nõ imbibitur intrinsece in cõceptu altero cõtrahente; vnde secundum ipsam, animal vt sic, præscindit perfecte à rationalitate; ens

vero non præscindit à suis differentiis, quibus cõtrahitur ad accidens & substantiam. Hanc doctrinā de præcisione perfecta & imperfecta proponit dictus auctor *quæst. 8. s. 8.* Sed sic est quod humanitas possit concipi sine eo, quod concipiatur vt incommunicabilis, & quod nõ includatur formaliter in singularitate, nec in Petro, quia est indiuiduum formaliter: ergo perfecte præscindit à singularitate, & positiuo illo, quod inuoluit Petrus, ratione cuius competit ipsi negatio incommunicabilitatis.

Confirmatur, quia non magis potest dici, quod humanitas imbibatur in Petreitate, quam quod animalitas imbibatur in rationalitate, nec magis debet dici, quod animalitas præscindat perfecte à rationalitate, quam quod humanitas perfecte præscindat à singularitate omni: sed animalitas secundum ipsum perfecte præscindit à rationalitate, & non imbibitur in ipsa: ergo idè dicendum de humanitate respectu singularitatis.

28. *Negat Auerfa s. 12.* esse eandem rationem de animalitate & rationalitate, ac de singularitate & humanitate; quia, inquit, singularitas imbibitur in omni gradu ita, vt non possit singularitas humana distinguì perfecte ab humanitate.

Contra, quia hoc dicendo petit principium, & oportet ostendere rationem, cur singularitas humana non præscindat formaliter ab humanitate.

Contra secundò, quia rationalitas animalis, hoc est, quæ contrahit animal, tam intrinsece imbibitur in animalitate, quam singularitas humana imbibitur in humanitate: ergo si animalitas perfecte præscindit à rationalitate, humanitas perfecte præscindit à singularitate.

Dices cum ipso, differentiā non præscindire perfecte à genere, si soli illi generi conueniat, quamuis perfecte præscindat, si possit conuenire alteri generi, vt in sententia aliquorum rationalitas non soli animali conuenit, vt nec soli homini, sed etiam Angelis, ac generi Angelorum.

Contra, quia si rationalitas ex eo, quod formaliter possit eadem competere homini, ac Angelis, perfecte præscindit ab animali, quod contrahit ad hominē: ergo similiter animal ex eo, quod possit formaliter competere alicui, quod non habet rationalitatem, perfecte præscindit à rationalitate, sine qua potest esse; & similiter ex eo, quod humanitas possit esse sine Petreitate secundum integram suam rationem formalem, nimirum cum Pauleitate, sequitur quod perfecte præscindat à Petreitate.

Confirmatur præterea hæc conclusio, per ea, quæ dicemus in Metaphysica, quando probabimus, ens, vt sic, perfectissime præscindere à suis differentiis: nam si id sit verum, sine dubio æque erit verum quod natura specifica perfecte præscindat à singularitate.

Fundamentum potissimum *Auerfa*, quod ab ipso fuisse & subtiliter proponitur, est quod sequeretur dari singularitatem in communi, quæ perfecte præscindat à singularitatibus in particulari, quod ipse meritò iudicat falsum, vt & ego etiam docui quæstione præcedenti. Sed falsa est sequela hæc, nam non est eadem ratio de præcisione naturæ ab indiuiduis, ac de præcisione singularis vt sic ab hoc & illo singulari.

QVÆSTIO IV.

Vtrum quantitas, aut aliquod accidens, aut collectio accidentium sit principium indiuiduationis.

9. *Q*uia resoluius aliquod positiuum distinctum aliquo modo à natura specifica esse principium indiuiduationis rerum singularium, ratione cuius principii competit ipsi negatio comunicabilitatis numerice, examinandum vltèrius est, quodnam sit illud positiuum: quia de re, quia plures sunt modi dicendi, pluribus quæstionibus agemus confusionis vitandæ gratia.

Aduertendum autem triplex posse considerari principium indiuiduationis: vñ formale, & proximum, ad quod immediate & formaliter sequitur ipsa negatio comunicabilitatis, & per quod per se primò & formaliter habet res indiuidua distinguì à natura, quæ indiuiduatur. Alterum remotum & radicale, ratione cuius cõpetit rei

triplex indiuiduationis principium.

Natura specifica perfecte præscindit à singularitate.